

1788.

1. Bochmerus, Phil. Adolphus: Specimen in my. nuncum  
tumors tumiculi interni exemplum quoddam memo-  
rabile referens.
2. Tirsberg, Dr. Iacobus Christophorus: De principio successio-  
nes gentilium quod uter, Annales.
3. Hugo, Grotius: De bonorum possessionibus.

4. Nettelblatt, Daniel: De legato et aliena, quae  
est in heretis

5. Snellius, Leonards: De methodo jas Docent.

1789.

1. Nettelblatt, Dan.: De rusticorum iuribus et obligacionibus  
singularibus falso vel merito suspectis
2. Nettelblatt, Dan.: De causis justiae et potestate  
petitoria

3. Simler, Fr. Salmer: *Dilectae ex Cicerone libello  
et c. sententiae.*

4. Wallaez, Iohann Christoph: *Ausprägung der Schultörigkeit  
der akademischen Rechtslehrer an dem Verfus der ahdlen  
Rechtsgelehrtenkunst.*

5. Wallaez, J. C.: *de iuris iurandi porto praesone  
etc.*

1790

1. Wulphel, Ioseph Christian: *An legatus, cui uoces  
volis constitutas ad fideles, nrodo non in pfecto,  
corruet?*

2. Wallaez, Joh. C. Berlin: *De juri praecepto  
quae semiologie criminalis quendam capita summa tractat,  
~~prosequitur~~. Deparet.*

1791.

1. Wulphel, Ioseph Christian: *An legatus, cui uoces  
volis / constitutas ad fideles / nrodo non in pfecto  
corruet?*

1791.

1. Rahn, Dend : De passionis Flaccacae pathologia
2. Armentiger, Odo. Fides : De viribus partum efficientibus  
generation et de altero operatione ratione substantiae  
muscularae et vasorum arteriosorum.
3. Tolberg, Achmer Gudulius : De varietate hymeniorum
4. Weitbrecht, Carol. Fides : De conceptione infantium

S

1792.

1. Denckh, Christ. Pessinaeas : De granis sale abdominali
2. Waller, Dr. Christ. : De foribus armatis

1793.

1. Meissel, Phil. F. S. : De hydrocephalo intus.
2. Paipers, Fornicatus F. S. : Dissertatio inaug.  
sistens tertii et quarti nervorum cervicalium  
descriptio numerus.

1993.

J. Rukk, Christ Hen. Hartelius : De transpir  
tione cutanea, aequilibrio caloris humani  
conservacioni inserviente, vero et aet. hujus  
functionis fine

DISSE<sup>6</sup>  
TATIO  
JVRIS GERMANICI COMMVNIS  
DE 1789 301  
**RVSTICORVM JVRIBVS**  
ET  
**OBLIGATIONIBVS SINGVLARIBVS**  
FALSO VEL MERITO SVSPECTIS  
6

---

QVAM  
P R A E S I D E  
PERILLVSTRI ATQVE CONSULTISSIMO  
VIRO

D. D A N. N E T T E L B L A D T,  
POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI A CONSILIIS INTIMIS,  
ACADEMIAE FRIDERICIANAE DIRECTORE,  
PROFESSORE IVRIS PRIMARIO ET FACVLTATIS JVRIDICAE ORDINARIO,  
DIE XXI. MART. MDCCCLXXXIX.

PVELICE DEFENDET

AVCTOR

FRIDERICVS GUILIELMVS L. B. DE HAGEN  
EQVES MARCHICVS.

---

HALAE,

T Y P I S F R A N C K I A N I S.





J.C. Wenziger inv. et sculps.

# A D R O S.



# F R E

*Le nom, que j'ai eu le bonheur de recevoir  
de VOTRE MAJESTÉ, ajoute de nouvelles  
obligations à celles, qu'exigent de moi le titre  
glorieux de Prussien, ma naissance, et l'exem-  
ple patriotique de mes aïeux. C'est à me mettre  
en état de les remplir un jour, ces obligations,*

B R E T

que les veilles de ma jeunesse sont consacrées.  
Permettez, SIRE, que les premiers fruits de  
mes travaux, paraissant sous les auspices de  
VOTRE MAJESTÉ, me servent d'aiguillon  
dans ma carrière, et m'imposent la loi d'y  
poursuivre les succès les plus distingués.

*Euzon, qui m'eust au temps des antiquaires reçus, Académie de l'Institut*

*Ces essais, je le sais, sont bien loin de la perfection, qui pourrait mériter les suffrages de VOTRE MAJESTÉ. Mais j'ose espérer, SIRE, que le motif, qui m'anime VOUS paraitra digne de quelque indulgence, et que VOUS daignerez ne pas rejeter ce*

*faible et respectueux temoignage de l'attachement inviolable, avec lequel je serai toute la vie*

*S I R E,*

*D E V O T R E M A J E S T É*

*Halle  
ce 20. Mars  
1789.*

*Le très humble, très obéissant serviteur et très fidèle sujet  
Frederic Guillaume de Hagen.*

---

## P R A E F A M E N.

---

Eorum, qui more jam antiquitus recepto, Academicas disputationes, quas vocant, publice defensuri prodeunt, non eadem, quae id ut faciant permovent, solent esse causae, non eadem ratio. Quidam enim erudita haec certamina solent inire, ut laurea exornati capessendis honoribus videantur digniores; alii justo eruditionis sensu ejusdem specimen publicum dare satagunt; alii vero alia de causa in hoc campo decurrunt. Quid vero effecerit, ut et ego ejusmodi dissertationem in publicum emitterem, paucis hic loci exponentum videtur. Id vero sola in optimos Parentes meos pietate absolvitur, quibus hos meos conatus non displicere spero: tanta enim eorum

tamque immortalia sunt in me merita, ut inde a tenerrima aetate  
ne unum quidem diem praeterisse meminerim, quo non illustre quod-  
dam amoris in me sui documentum edidissent; id quod imprimis  
ex eo adparet, quod cum litterarum me desiderio capi cernerent,  
nullis unquam sumptibus perpercerunt, omnemque operam dede-  
runt, ut voti mei fierem compos. Quod cum ita sit, non video,  
quod discessurus ex Academia illis aliud gratissimi tantorumque be-  
neficiorum memoris animi documentum exhibeam, nisi tale, quo,  
si non doctum evasisse, certe diligentem me in Academia fuisse,  
demonstrem. Quare aequos fore arbitros opinor speroque lectores  
meos: hi enim, si ad causas, quae me ad scribendum moverunt,  
quibusque nihil vanitatis vel arrogantiae admixtum est, respexe-  
rint, et juvenilem opellam vix unquam vitio carere cogitaverint,  
non poterunt non illis ignoscere naevis, qui forsan in scripto meo  
oculos eorum offendent.

Praeter haec vero petenda mihi est ab aequis lectoribus ve-  
nia, quod in dissertatione mea de Juribus et Obligationibus Rusti-

corum, falso meritove suspectis, a quorumdam DD. sententiis receSSI,  
aliisque indagare viam conatus sum, ad ea, quae circa has res  
juris sunt, felicius inquirenda: reputent secum Lectores, quam di-  
versae sint doctissimorum virorum hac de doctrina sententiae, ut  
nihil de eadem proferre liceat, quin cum pluribus in certamen de-  
scendamus, ac respiciant, dissentiendo et examinando haud raro  
nos ad verum pervenire.

Si quis vero me reprehendat, quod in themate, suo pondere  
et difficultate juveniles vires superante elaboraverim, eo ipso me  
motum profiteor, quod dubiis involuta ea est doctrina, ut eam po-  
tissimum tractandam sumerem, eo scilicet fine, ut id consequerer,  
quod jus olim dicturo maximum argumentum esse debet, scilicet  
intelligere, quam curiose quantaque circumspectione ejuscemo-  
di instituenda sint quaestiones, quae jura et obligationes rustico-  
rum concernunt, ne, quod frequens solet fieri, error in foro com-  
mittatur.

Igitur, si qua a veritate longius recesserim, errores mei eo  
magis erunt excusandi, quo difficultibus involutorum ipsa doctrina  
est, de qua acutissimi ingenio viri non idem sentiunt, ita, ut quem  
sequaris, fere non reperias.

Sin autem contingat, me assequi assensum, non dicam laudes,  
Jurisperitorum, non tam mihi, quam celeberrimis Viris id tribuen-  
dum est, quorum scholis et institutione, dum Juris prudentiae ope-  
rum dedi, sum usus. De forma opusculi mei non attinet monere  
plura: cum enim non de omnibus, sed de quibusdam tantum ju-  
ribus singularibus agere conquissem, quae dicenda habebam, obser-  
vationibus aliquot distinxii, quarum quaevis, duabus prioribus excep-  
tis generalia continentibus, de jure quodam singulari agit.

---

DE

RVSTICORVM JVRIBVS

ET

OBLIGATIONIBVS SINGVLARIBVS,

FALSO VEL MERITO SVSPECTIS.

A



## OBSERVATIO I.

**D**e juribus et obligationibus singularibus rusticorum in genere.

**I**nter eos, qui pro status fui diversitate, diversis juribus et obligationibus utuntur, eam ob causam praesertim notandi sunt *rufi*, quod doctrina de eorum juribus singularibus, seu, ut ajunt, privilegiis, nec non eorum obligationibus singularibus, variis, et, si quid video, gravioribus dubiis involuta est, quam plurimum aliorum civium Germaniae, qui ab iis, quoad ordinum hominum in Germania diversitatem, differant, quales sunt ii, qui sub nobilium et civicorum, seu hominum civici ordinis, nomine veniunt. Hinc orta sunt variis generis scripta

juridica de rusticorum privilegiis, seu potius juribus singularibus; qualia sunt,  
 quae RENATO CHOPPINO, AUG. BENED. CARPOVIO, JOAN. GUIL. DE GOEBEL et  
 JOAN. PAUL. KRESSIO debemus, ut taceam scriptores de rusticis in genere, qui  
 singula rusticorum privilegia recensuere, inter quos praesertim LUD. ERID. GABKE  
 in den *Grundzügen des Dorf- und Bauern-Rechts*, Abschnitt 12. von den Privile-  
 gien und Vorzügen der Bauern, notandus. De singularibus vero rusticorum obli-  
 gationibus, quemquam ex instituto scripsisse, mihi non constat, licet generalia de  
 rusticis scripta, et talia contineant, quae singulares rusticorum obligationes attinent.  
 Mitto variis generis observationes litterarias de scriptis hujus generis, et hic tan-  
 tum generatim moneo, inter jura singularia et singulares obligationes rusticorum,  
 dari, quae sunt vel falso vel merito suspecta, prout idem etiam de opificum  
 privilegiis dici potest, de quibus exstat CAR. HENR. DE DREYER *Specimen privi-  
 legiorum opificum falso meritoque suspectorum.* Kilonii 1751.

Idem igitur quoad rusticorum privilegia, seu potius iura singularia, ut  
 et eorum obligationes singulares tentare decrevi: attamen non de omnibus, sed  
 tantum de nonnullis, praesertim iis, quae prae aliis, me judice, sub examen  
 vocari merentur, sum acturus. Praeterea, antequam ad specialiora progrediar,  
 generatim praemonendum esse existimo, me quidem potissimum juris Germanici

rationem habere: verum tamen et secundum jus Romanum inquirere, an et  
quatenus hoc vel illud jus singulare, vel etiam haec seu illa singularis obligatio  
rusticorum, hoc referri possit et debeat: quo facto etiam, ubi opus fuerit, defi-  
niam, quid secundum usum fori obtineat, vel saltim obtainere debeat.

## OBSERVATIO II.

De iis, quae de rusticorum germanicorum definitione, eorumque speciebus in usum  
sequentis tractationis praemittenda sunt.

*R*usticus germanicus, quatenus talis intelligitur homo, qui inter tres diversos  
ordines hodiernos civium Germaniae sub hoc nomine venit, in sensu lato est  
is, qui rure, agriculturae causa, in toto suo ambitu sumtae, degit; vel hujus  
ordinis hominum progenies est, quae alii ordini hominum in Germania non ad-  
scripta, sive nec nobilis, nec civicus seu civici ordinis homo est. CHRIST.  
GOTTL. RICCI Specilegium juris germanici Lib. I. T. 4. pag. 131. Hoc lato  
sensu, rustici in Germania sunt, vel homines proprii (glebae adscripti, servi ger-  
manici, Leibeigene) qui constituant speciem quandam rusticorum, quibus oppo-

nuntur *rufisci liberi*, (*rufisci in sensu stricto*) si servi germanici non sunt. Ne autem nimiae brevitatis studium, ut fieri solet, claritati notionum officiat, addo:

1) Ex mea sententia, secundum antiquissimos hominum *ordines* (Stände) in Germania, Germanos fuisse, vel *homines liberos*, vel *servilis conditionis homines*; priores vero vel *nobiles in sensu antiquo* vel *ingenuos*; et posteriores vel *libertinos* vel *servos* distos esse: harum autem notionum evolutio non hujus est loci. —

2) Glossam ad *L. III. Art. 42.* p. 374. „Edit. GAERTNERT hanc: In einer „Aufklärung soll ihr wissen, daß etlicher Dienst liegt auf dem Manne, „etlicher auf dem Gute. Der Dienst, der auf dem Manne liegt, der „macht ihn eigen, und er heißt davon servus: und der Dienst, der auf „einem Gute liegt, macht einen nicht eigen; davon muß aber der „Mann dienen, dem, des das Gut ist, darum daß er das Gut halten „will.“

3) Non omnes servos in Germania esse species rusticorum germanicorum. Dantur potius, praeter rusticos servos, in Germania, duplicitis generis servi, ab iis distinguendi. Primam speciem eorum appellare liceat *servos*

per occupationem bellicam tales, seu, si mavis, servos vi juris retorsio-  
 nis tales, quibus in bello cum infidelibus, in captivitatem bellicam re-  
 dactis, vi juris retorsionis Germani durum servitutis jugum imponunt,  
 de quibus videatur STRYK in V. M. PAND. L. I. T. 3. §. 2. GODO-  
 FR. NIC. ITTIGIUS de mancipiorum Turcicorum manumissione, baptismo  
 implicita, Lipz. 1689. Ad secundam speciem referri possunt servi, qui  
 per commercium, quod quidam exteri populi cum servis exercent, ac-  
 quisiti, in Germaniam transportantur, vulgo *Negerfklaven* dicti, quos  
 et in Germania pro servis habendos esse, defendi potest. Conf. REICHART  
*Abhandlung über den gesetzlichen Zustand der Negerfklaven, als ein  
 Auszug aus Petit Traité sur le gouvernement des Esclaves.* Leipz. 1779.  
 — *Rechtsgeschichte eines erkauften Mohren — in den Beyträgen zu der  
 juristischen Litteratur in den preussischen Staaten.* P. VI. Stt. IV. pag.  
 296 — 311.

- 4) Rustici in Germania, qui sunt servi seu homines proprii, opponi *ruflicos*  
*liberos*, qui sunt vel *rufici liberi simpliciter tales* (rustici perfectae  
 libertatis, Freye) si praeter praefestationes, ad quas subditi vi subjectionis  
 civilis obligati, ab iis praefestationibus immunes sunt, quae sunt re-

liquae pristinae servitutis in Germania; vel rustic*i* liberi secundum quid tales (rustici imperfetae libertatis, Mittelfreye.) si tales non sunt.

Vid. CARL FRID. BREINLI*jus germanicum privatum*, Lib. I. pag 160. seq. — DE SELCHOW *neue Rechtsfälle*, P. I. num. II. — Wahre Beschaffenheit der teutschen Guthsherrlichen Zinsgerichte oder Meierdinge §. 2. 3. 4.

5) Dominos rusticorum esse, vel dominos eorum proprie sic dictos (Grundoder Gutsherren) vel dominos jurisdictionis (Gerichtsherren) quatenus vel tales sunt, quorum dominicae potestati rusticus est subiectus, vel tales, quorum jurisdictioni pareat. Unde patet, unum eundemque dominum, rusticus dominum stricte sic dictum, ut et dominum jurisdictionis esse, saepe contingere; nec non, quo sensu rusticus, relati ad dominum stricte sic dictum, in oppositione ad herrschaftliche seu Amts-Kantmerbauern, gutsherrschliche Bauern, dicendi sint. — DE SELCHOW l. c.

§. 5. 6.

### OBSERVATIO III.

Jus singulare rusticorum non est, juris ignorantiam iis non nocere,

Communem esse Doctorum opinionem, juris ignorantiam rusticis non nocere, indeque ad personas, quibus jus ignorare licet, referri, praeter milites et feminas, etiam, et quidem potissimum, rusticos, testantur scripta de rusticis, ut et de juris et facti ignorantia. Licet vero per *L. 2. §. 1. D.* *Si quis in iure vocatus non ierit L. 1. §. ultim. D. de ventre inspiciendo L. 3. C. de defens. civitatis.* notum veritatique consentaneum sit, subveniendum esse simplicitati rusticanae, ubicunque judicantem aequitas moverit, nec non rusticitati hominis parcendum esse: inde tamen non sequitur, communem opinionem, de rusticorum iure singulari, iis scilicet juris ignorantiam non nocere, veritati consentaneam esse. Mea quidem sententia potius est distinguendum inter *rusticum qua talem*, seu *rusticum quoad eum statum suum, quod sit rusticus*, et eam ejus conditio nem, quae sub *rusticitatis* seu *simplicitatis et imperitiae* nomine venit, cuius saepissime in legibus romanis mentio fit. Itaque cum non hujus sit loci, de genuina rusticorum notione disputatione, de rusticitate tantum quaedam monenda

funt. Est vero *ruficitas* talis rusticci sanae mentis conditio, secundum quam, ob suum vitae genus, ei ignorantia existentiae et tenoris legum imputari nequit. Quedsi nunc definiendum, an et quatenus sit jus singulare rusticorum, iis juris ignorantiam non imputari, ita sentio: *Rustico qua tali, seu, ut ajunt, secundum statum suum, non competit jus singulare quoad ignorantiam juris. At enim vero, ob ruficitatem rusticci, omnino rusticci, prout cuilibet alii, qui rusticus non est, competit hoc jus singulare, ut juris ignorantia ei non noceat.* Rusticum autem non qua talem, sed ob ruficitatem habere jus singulare, de quo mihi sermo est, evincunt leges, quibus hoc jus singulare nititur, inter quas praesertim notari merentur: *L. 8. C. qui admittendi ad B. P. ut et L. 1. §. 15. D. de inspiciendo ventre, nec non L. 2. §. fin. D. de jure fisci.* In singulis hisce legibus sermo est de juribus singularibus variis generis, quae concernunt juris ignorantiam: in nulla vero earum, rusticorum qua tali, jus singulare quoad juris ignorantiam obvenit, dum non de rusticis, sed de rusticitate loquuntur. Contra vero, quoties in legibus sermo non est de jure singulari rusticorum, quod juris ignorantiam attinet, sed de alio jure singulari rusticorum; loquuntur non de rusticitate, sed de rusticis, veluti leges de testamentis rusticorum. Inde vero, quod rusticus *ruficitas* sit ratio sufficiens juris singularis rusticorum quoad juris ignorantiam, non vero *status rusticus*: sequitur, si quid video, hoc jus singulare

etiam *paganorum* jus esse, si sunt tales, quales rustici sunt quoad rusticitatem, quae, quoad eos, potius *simplicitas* seu *imperitia* dicenda est; quae cum ita sint

1. ex dictis facile patet, non fatis cohaerere doctrinam de juris ignorantia, si ad eos, quibus jus ignorare licet, inter alios, veluti *milites* et *feminas*, etiam referri solent rusticis; dum potius dicendum, rusticitatem esse hujus singularis juris fundamentum, indeque rem acutetigisse JAC. HENG. ZOLLUM in dissertat. *de favore juris erga neficientes*, cap. I. dum ait, *magmen* (scilicet eorum, quibus jus ignorare licet) *claudunt rusticis, non pro status sui, sed imperitiae et simplicitatis ratione, intelligendi.* Idem sentit CAR. CHRIST. HOFACKERUS in *principiis juris civilis romano-germanici*, Tom. I. L. I. Cap. IV. §. 203. pag. 160., qui, dum recenset eos, quibus jus ignorare licet, ad eos non refert rusticos; sed *rusticati leges subvenire* ait. Porro

2. Ex dictis de vero fundamento juris singularis, quod rusticis competit, quoad juris ignorantiam, solvi potest quaestio: *an rusticus etiam tum ad hoc jus singulare provocare possit, si prudentiores consulere potuissent?* Sunt, qui defendunt, secundum jus romanum in hoc casu jus singulare rusticitatis locum non habere. Imo sunt, qui ulterius progreduntur, atque inde, quod in Germa-

nia nunquam desit occasio, prudentiores consulendi, concludunt, in Germania plane nullum habere usum jus singulare rusticitatis quoad juris ignorantiam. At, quod attinet jus romanum, arg. *L. 9. §. 5. D. de juris et facti ignorantia negari nequit*, quoad eum, qui prudentiores consulere potuit, jus singulare juris ignorantiam concernens, in reliquis casibus, praeter eum quo quis propter rusticitatem hoc jure singulari gaudet, cessare: verum, quoties rusticitas est fundatum juris singularis ignorantiam juris concernentis, sive ignorans sit rusticus, sive non, hoc defendi nequit: id quod ex nunc dicendis de usu hodierno illuceat. Quod enim attinet usum hodiernum, cum iis facere nequeo, qui defendant, in foris Germaniae, quae dixi de rusticorum ignorantia juris, nullum habere usum: in qua haeresi est HOMMELIUS in *Rhapsodia quaestionum in foro quotidie obvenientium Vol. III. Observat. CCCCLXXVII.* quae sic inscripta est: *dass sich die Landleute heutiges Tages weiter nicht mit der Rechtsunwissenheit behelfen mögen.* Adiectae rationes decidendi vero, ut ipsis ejus verbis utar, sunt haec: *Sintemahlen in L. 9. §. 5. D. de juris et facti ignorantia ausdrücklich verordnet ist, dass ihnen nur alsdann, wenn sie keine Gelegenheit gehabt, erfahrene Leute zu Rathe zu ziehen, der Irthum zu flattren komme.* Also, da dieser heutiges Tages allemahl geschehen kann, die Gelegenheit, Rechtsgelehrte zu befragen, eine *præsumptionem juris et de jure dergestalt abgiefet, dass, wenn auch ein Bauers-*

mann seine Einfalt und Mangel an erfahrenen Leuten beweisen wollte, er damit weiter nicht zu hören, mithin alles dasjenige, so zum Vortheil des Landvolkes in römischen Gesetzen verordnet, gänzlich außer Uebung, sitemahlen zwischen Bauern und andern gemeinen Leuten in denen Städten, welchen letzteren dergleichen Vortheil niemals verfattet gewesen, nach heutigen in Teutschland üblichen Gerichtsbrauch diesfalls nicht der mindeste Unterschied ist. At hoc argumentum HOMMELIN me movere nequit, ut idem sentiam. Rusticitas rustici enim, quae efficit, eum jus ignorare, et hunc producit effectum, ut, prudentiores consulendos esse, etiam ignoret. Unde, si rusticitas excusat ipsam juris ignorantiam, etiam excusare debet neglectum peritiorum consilium: quemadmodum ei, qui morbo occulto laborat, neglectus Medicorum usus, ideo imputari nequit, quod medicos consulere potuisset. An vero rusticitas rustici sit talis et tanta, ut favorem, quem leges ei tribuunt, mereatur, judicis arbitrio relinquendum est, nec generaliter definiri potest, quod recte monuit ZOLLIUS l. c. num. 98. Unde quoad prudentiam legislatoriam saluti publicae conveniret, media praecavendi excoigitari, per quae rusticorum rusticitas, quoad juris ignorantiam, si plane tolli nequiret, saltim ita minueretur, ut iis jus ad rusticitatem provocandi, si per juris ignorantiam laeti fuerint, sine injuria denegari posset: qua de re legi meretur opusculum, quod Berlini 1774. in lucem prodiit, inscriptum: *Entwurf eines Dorfbuchs oder einer zu*

veranstaltenden Sammlung der eine Dorfgemeine angehenden nützlichen Nachrichten.

Ceterum de hoc argumento consuli merentur *Observatio de juris et facti ignorantia*, inserta der Sammlung vermischter kleiner Schriften. Bützow und Wismar 1773. P. 6. pag. 55. CRAMERI Observatio: *si rusticitas excusat, requiritur, ut sit simplex seu innocens et quieta in Ejus Observat. juris universi Tom. II. P. 1.* Observ. CCCCLXXXII.

## OBSERVATIO IV.

De obligatione singulari rusticorum quoad operas domino praestandas, et de praefumtione in causis praestationem operarum rusticorum concernentibus.

**A**rdua et dudum agitata controversia est: quid juris sit, quoad praefumtione, si inter rusticum et dominum ejus stricte sic dictum seu praediale lis oritur, quae concernit debitam operarum praestationem: quo de arguento, obligationem quandam singularem rusticorum concernente, itaque nunc agatur. Redit vero illud ad tria momenta, quorum *primum* concernit litteraturam juridicam; *secundum* status controversiae formationem; *tertium* ipsius controversiae decisionem.

I. Quod attinet *Litteraturam juridicam*, hoc refero controversiam circa annum 1737. ortam, quae praefumtionem in causis operarum inter rusticum et ejus dominum stricte sic dictum concernit, quamque appellare liceat *Hauschildio-Estorianam*, seu, si mavis, *Reineccianam*. Licet autem dissensus DD. hac de re in scriptis peculiaribus de rusticis, ut et in compendiis juris germanici privati, non denum dicto tempore ortus sit; inde tamen *specialem* controversiam ortam esse, dici nequit, ita, ut nec hue referri possit dissensus inter ENGAVIUM in *Elementis juris Germanici* §. 56. et ejus commentatorem RICCIUM in *Spicilegio suo* supra laudato, qua occasione SCHROETERUS in speciali commentary, *diurnis Erlangenibus* a. 1752. num. 45. 46. inserta: *von der ehemaligen Knechtschaft der Bauern in Deutschland*, ENGAVII defensionem contra RICCIUM suscepit. Quod itaque speciatim attinet controversiam *Hauschildio-Estorianam* seu *Reineccianam*, ejus aliqua quidem notitia hauriri potest ex iis, quae in SCHOTTII *Supplementis ad Lippenium* sub voce: *operae* hac de re obveniunt: paulo tamen plenior ejus historia est haec quae sequitur. Videlicet anno 1736 IOAN. GEORG. ESTOR recudiebat Gissae GROLLMANNI trigam dissertationum de *operarum debitarum redemtione*, cum praefatione de *praefumtione contra rusticos in causis operarum*. Paulo post, nimurum a. 1738. Jurispracticus Dresdensis D. JOAN. LEON. HAUSCHILD Dresdae edebat in forma octava: *opusculum historico-juridicum, praefumtionem*

pro libertate naturali rusticorum, quatenus neque Leges neque pa*ct*a obstant, ab impugnationibus Estorianis omni jure, antiquitatibus et documentis perspicuis vindicans. Contra hanc ESTORIS praefationem, quae 1742. nomine *commentationis* Jenae separatim, paucis mutatis, prodibat, HAUSCHILDIUS ulteriore defensionem init, in libello Dresdae 1744. impresso, et *Beyschriften von Bauern und Frohn*n** dicto, in quo non solum num. III. defensio contra ESTOREM: Prüfung der Estorischen Commentation und Vergleichung derselben mit seiner Vorrede inscripta, legitur: sed et num. II. alia occurrit defensio contra *Nova acta ICtorum*, Titulo: *Vertheidigung des opusculi de presumptione pro libertate naturali rusticorum wider eine Recension in denen zu Wittenberg 1739. herausgekommenen novis actis ICtor.* P. VIII. p. 713. Haec dum agebantur, alias causarum patronus Dresdenis D. JOAN. JAC. REINECCIUS calatum suum stringebat contra HAUSCHILDUM in libro 1745. in lucem prodeunte, et inscripto: *commentatio de rusticō quondam servo D. I. L. Hauschildio, juris prae*c*lico, assertori libertatis naturalis in causis rusticorum post leges et pa*ct*a prae*s*u*m*endae, quam nuper adversus cel. marp. ordin. Dm. Ioan. Georg. ESTOREM opusculo historico - juridico, vindicasse sibi visus est, opposita, hunc potissimum in finem, ut de pra*s*umptionis pro rusticorum operis servilibus ex potestate domi*n*ica capienda stabili fundamento, singulis quae obvertebantur ratiociniis exceptis,*

*atque discussis luculentius constet.* Huic scripto opponebatur aliud, quo vero autore nescio, scilicet: *B. S. ICti Hannoverani Assertio de rusticorum libertate et operis contra Reineccium, et appendice quadam de rusticis Mindensibus et Schumbergicis fide diplomatum et rerum judicatarum.* Hannov. et Lips. 1750. 4. Hujus scripti, quod miror, nullibi, ne ab HAUSCHILDIO quidem mentio facta est, licet ipse exposit causa suam egerit contra REINECCIUM in libello, dicto: *Widerlegung einer von Herrn D. Joachim David Reinecius 1745. herausgegebenen Schrift: de rustico quondam servo.* Ceterum singula haec scripta a me recensita, quae ipsum HAUSCHILDUM autorem habent; typis repetita, et insigniter aucta, cum aliis HAUSCHILDI opusculis, quae huic non pertinent, existant in collectione scriptorum ejus, sub titulo: *JOAN. LEONH. HAUSCHILD juristische Abhandlungen von den Bauern und deren Frohndiensten, auch der in Rechten gegründeten Vermuthung ihrer natürlichen Freiheit etc.* Dresden und Leipzig 1771. 4. Huic collectioni quoque num. V, insertum est HAUSCHILDI opusulum historico-juridicum, cuius supra mentionem feci, quodque 1738 prodiit, insigniter auctum, et nunc inscriptum: *Widerlegung der von einigen besondern von Estorn behaupteten Vermuthung einer ungemeinsenen Dienstbarkeit der Bauern.*

II. Sequitur determinatio status controversiae, quoad quaestione de eo, quod istum est quoad praeumptionem, in causa inter dominum stricte sic dictum

seu hereditarium et rusticum quoad operas rusticorum, qui, judice me, ita determinandus, ut restringatur controversia ad rusticos, qui sunt rustic*i imperfectae libertatis*, dum, quod attinet rusticos, qui vel *servi seu homines proprii* sunt, vel *rustici plane liberi seu perfectae libertatis*, omnia per se patent, siveque horum ratione habita, cessat quaestio de praesumptione quoad operas a rustico domino praestandas. Si enim *prius* ponis, certum est, talem rusticum praestare debere operas, cujuscunque quantitatis et qualitatis, seu, ut ajunt, indeterminatas, modo sint opera*e rusticanae*, id est, opera*e rusticorum* qua talium, et *modicae*, id est, tales quas rustic*i* salvis officiis naturalibus erga se ipsos, praestare possunt. Si vero ponis *posteriorius*, certum et indubitatum est, talem rusticum ab operis rusticorum plane immunem esse. Quae cum ita sint, *controversia de praesumptione in causis operarum rusticorum, non nisi tales rusticos concernit*, qui sunt rustic*i imperfectae libertatis*, et quidem ita, *ut non in genere quaeratur*, an praesumendum sit utrum operas praestare debeant, an non: sed potius, an quoad alias operas, praeter eas, quas rusticum, tanquam rustic*i imperfectae libertatis*, praestare debere, extra controversiam est, praesumatio, quod et tales rusticus praestare debeat, militat pro domino contra rusticum, aut vice versa pro rustic*o contra Dominum*. Notum est, plures DD, praesertim recentiores, defendere generatim contra antiquiores, praesumendum esse pro domino contra rusticum, eum

ad indeterminatarum operarum praestationem obligatum esse, quod negant alii et contrarium defendant. Ex mea sententia vero distinguendum est inter rusticos imperfectae libertatis et reliquos, et verus status controversiae est hic: an quo, ad priores, pro rustico vel contra rusticum praesumendum sit, seu, quod idem est, pro domino vel contra dominum? Sic evitari potest omnis legomachia in hac controversia, nec quoad eam distinguendum inter operas determinatas et indeterminatas rusticorum, sed tantum inter operas rusticorum imperfectae libertatis et reliquorum. Licet vero praeterea in determinatione status controversiae, de qua loquor, distingui etiam posset, an concernat operas rusticorum *simpliciter tales*, an vero *secundum quid tales*, seu, ut clarius loquar, an eas concernat quoad quæfitionem *An?* vel quoad quæfitionem *Quomodo?* scilicet quoad quantitatem et qualitatem operarum rusticorum: hanc tamen distinctionem hic non attendam esse, arbitror.

III. Status controversiae, hac ratione rite et perspicue determinato, ex mea sententia controversia ipsa sic decidenda est. *Si rusticus est rusticus imperfectae libertatis, nequitquam falsum aut suspectum, sed verum ejus iur singulare est, in causa inter eum et dominum suum stricte sic dictum seu hereditarium, praesumendum est pro eo contra dominum; haecque praesumtio locum habet, licet conflet-*

rusticos, olim praediorum possessores, rusticos servos fuisse, dum sufficit rusticum,  
 nunc praediū possessorem, esse rusticum imperfectae libertatis. Per ea enim, quae  
 de rite formando statu controversiae, in causis operarum, inter rusticum imperfe-  
 ctæ libertatis, et dominum suum dicta sunt, patet, mutationem quoad rusticum  
 imperfectæ libertatis, vel quoad quaestione: *An?* vel quoad quaestione: *Quo-*  
*modo?* esse eum praeter operas, ad quas domino suo praestandas, dum rusticus  
 imperfectæ libertatis factus est, se obligavit, ad plures, vel alias generis operas,  
 praeter eas, quas eo tempore suscepit, ex post se obligasse; hocque valere non  
 solum de iis rusticis imperfectæ libertatis, qui, antequam tales facti sunt, rustici  
 servi seu homines proprii ejus domini fuerunt, cuius rusticci imperfectæ liber-  
 tatis nunc sunt; sed et de iis, qui noviter acquisiverunt praedia aliorum rusticorum  
 imperfectæ libertatis, in quorum locum successerunt. Quodsi itaque,  
 prout nunquam, ita nec hic, presumi potest id, quod est mutatio: per dicta  
 probatum est, quod erat probandum. Nec metuo, ne quis objiciat, mutationem  
 tum presumendam esse, quando mutationem factam esse, ordinarium est. Sit ita.  
 Inde tamen nec generatim nec speciatim in eo casu, quo rusticci nunc imperfectæ  
 libertatis sunt tales, qui sucesserunt in locum rusticorum olim servorum seu ho-  
 minum priorum, sequitur, pro domino presumendum esse: cum petitio prin-  
 cipiū sit, ordinarium esse, quod tale esse dicis. Amplector itaque, prout ex

dictis patet, antiquiorum Doctorum, ait tamen aliquo modo emendatam, sententiam prae recentiorum, mihi aliisque valde suspectam. Unde nec mirum est, nostris diebus tertiam opinionem invaluisse. Ut, quod eam attinet, brevibus me expediam, provoco ad recentiorem scriptorem de rusticis, qui laudat eam tanquam talem, quae propter aequitatem et convenientiam cum analogia juris, aliis praefferenda sit, nimirum ad JUST. FRID. RUNDIUM in den *Anmerkungen und berichtigenden Zusätzen zu dem Burischen Lehnrecht, oder der ausführlichen Abhandlung von Bauergütern*, qui pag. 7. provocat ad Dn. de SELCHOW, cuius verba sua facit, quae haec sunt: *res omnis — his regulis continetur. Videndum an lege vel pacto res definita sit. Si his nihil definiatur, ad observantiam recurritur. Cum enim ea, quae ut plurimum et ordinarie sunt, praesumantur, sequitur pro diversitate territorialium, nunc determinatas, nunc indeterminatas operas praesumi oportere. In casu dubiae observantiae ad possessionem deveniendum est. Sin et haec dubia est, tutius agunt partes, cum rem omnem arbitrio judicis vel principis decidendam committant, aut transactione controversiam sopian.* At, quid regulis prudentiae conveniat, et quid tutum sit, hic non euro. Si lege vel pacto definita est controversia, cessat disputatio. Quoad observantiam, universalis observantia deest, particularis vero non attendenda, si prout hic, quaestio est de jure Germanico communis. Quae cum ita sint, mani-

festum est, has regulas non continere, quod continere debent, dum ad eas, judex casus in foro obvios secundum jus Germanicum commune, deficiente iure particulari, iustitiae regulis conformiter decidere nequeat. Ceterum quoad literaturam, praeter ea, quae supra obveniunt de controversia HAUSCHILDIO-REINECCIANA, generatim adhuc notandum est, POEHMERVM in *Diff. de libertate imperfecta rusticorum in Germania* §. XVIII et §. XXIV varia, quae hoc faciunt, concessisse, quibus, quoad recentiores scriptores, addi merentur quae prostant in ANT. LVD. SEIPPII *Dissert. de statu rusticorum ex mediis aevi rationibus caute dijudicando* Gött. 1749, additis iis quae apud J. F. AUTENRIETH in ejus uneingeschränkter *Vertrennung der Bauergüter, oder Bauernlehen*, Stuttg. 1779 quoad historicam partem hujus scripti §. 1 — 5 traduntur.

## OBSERVATIO V.

Censum rusticorum et operarum eorum comparatio.

Inter praestationes rusticorum varii generis, praeter eorum operas, praesertim etiam notandi sunt census rusticorum. Sunt hi census species censuum in-

genere, de quibus exstat BOEHMERI dissertatio *de vario censum significatu et iure*, in qua §. VI. censum rusticorum quidem mentio occurrit; at, quoad hanc speciem censum, remittit lectores ad ZIEGLERI diff. de *praediis censiticiis ruralibus*. Antequam vero hic de comparatione operarum et censum rusticorum speciationem agatur, generalia quaedam de rusticorum praestationibus variis generis praemittenda duxi.

Praestationes igitur rusticorum, qua talium, reduci possunt ad duas generales classes, quarum altera comprehendit operas et *census rusticorum in sensu proprio seu praediales*: altera vero *reliquas eorum praestationes*, quae vel *personam*, vel *res*, vel *facta* rusticorum qua talium concernunt. Ad *primam classem* referri possunt 1) juramentum assecurationis (Erbhuldigung); 2) obligatio petendi veniam migrandi, eaque obtenta solvendi censum detractus (Abzugsgeld); 3) praefatio eorum, quae vi jurisdictionis patrimonialis praestanda sunt domino jurisdictionis. — *Secundam classem* praestationum, de quibus hic loquor, constituant 1) mortuarium; 2) laudemium. — *Tertiae classis* praestationes praeter operas et censum in sensu proprio sunt 1) redemptio consensus domini in negotiis gravioribus; 2) locatio operarum domino facienda, si locum habet jus domini quod nomine des Dienstzwanges venit. Conf. BREINLIJ *jus germanicum privatum*

pag. 167. seqq. qui, hoc fere modo, hanc doctrinam in meliorem ordinem, ac vulgo fieri solet, redegit. Quae inter has rusticorum praestationes *censum rusticorum in proprio significatu seu praedialium nomine denotantur*, sunt praestationes in dando consistentes, certo anni tempore, in signum nexus servilis rusticorum, reiterandae. Cum hic nexus servilis rusticorum duplicis generis esse possit, vel is, qui oritur ex tali nexu servili, qui est servitus quoad homines proprios; vel is, qui oritur ex nexu servili, qui est imperfecta libertas rusticorum imperfectae libertatis, duplex inde oritur censum species, quarum altera *census rusticorum servorum*, altera *census rusticorum imperfectae libertatis* dici potest.

Sunt quidem praeter hanc divisionem censum rusticorum, variae aliae species eorum, veluti quod sint vel decimae, vel non; his tamen hic supersedere possumus, quoniam nullum praestant usum sequenti tractationi.

Quod vero attinet comparationem operarum et censum rusticorum, in eo differre inter se patet, quod *operae* sint praestationes faciendo; *census* autem dando absolvendae. Atque haec quidem differentia est omnino unica, quae essentialis dici potest, et de qua mihi hic potissimum sermo est, eatenus, ut defi-

niatur, an et quatenus, vi comparationis, argumentum duci possit ab una harum specierum praestationum rusticorum ad alteram, vel non. Inde enim hoc oriatur commodum, quod praesupposita theoria de eo, quod justum est quoad unam speciem harum praestationum, hoc facili negotio ad alteram speciem transferri possit, nisi adsint leges positivae, quae contrarium expressè fiant. Verum tamen haec comparatio euni usum praestare nequit, ut praesupposita vna earum, inde semper fluat, quid quoque justum sit quoad alteram; cum potius nonnumquam haec comparatio nequidem illustret, multo minus ab una ad alteram argumentum praebeat. Unde generatim dicendum est: *comparationem operarum et censuum rusticorum inter se, licet non in omnibus obvenientibus questionibus, has diversas praestationes rusticorum concernentibus, eum habeat usum, ut ab una ad alteram argumentari liceat, saepius tamen hunc usum praestare.* Sic, quae dicta sunt observatione praecedente de praesumptione quoad operas rusticorum, valent etiam de praesumptione quoad census eorum, vi comparationis operarum et censuum: cum differentia inter praestationes rusticorum hujus generis non sit talis, ex qua diversitas quoad praesumptionem oriatur. Contra, quaestiones de censibus pecuniariorum quoad monetae genus et valorem, ex comparatione cum eo, quod justum est circa praestationem operarum rusticorum, decidi nequeunt. Cogitandum itaque est de principio quodam generali, quod

hic usum praestet, quale sit hoc: *quoties differentia inter obligationem ad aliiquid dandum et ad aliquid faciendum, efficere nequit diversitatem quoad obligationes et jura, quae p[ro]sta[t]iones concernunt: toties comparatio operarum et censuum hunc habet usum, ut analogica decisio locum obtineat; in casu vero opposito, operarum et censuum comparatio dictum usum habere nequit.* Posset quidem hoc principium variis aliis exemplis, praeter ea, quorum mentio iam facta est, illustrari; brevitatis tamen studio hic subsistens, non nisi hoc, quoad reatum usum hujus principii, monendum supereft, an scilicet differentia inter rusticorum obligationem ad operas et census diversitatem producere possit, an non? Ipsum hoc principium vero, ulterius seu specialius, quantum ego video, determinari non potest. Sagacitati judicis in easibus obvenientibus itaque relictum manet, ut definiat, an dicta diversitas adsit, nec ne; siveque, an argumentum ab una harum p[ro]sta[t]ionum ad alteram valeat vel non.

## OBSERVATIO VI.

De jure singulari rusticorum quoad nuptias rusticorum alimentarii sexus utriusque.

Quid veniat inter rusticos nomine *reservati rusticorum* (des Auszuges der Bauersleute, des Altvaterrechts) hic tanquam notum suppono, vel lectorem remitto ad Jo. GODOFR. KRAUSII Diff. circa *jura et mores reservatorum rusticorum, praeprimis Misnensium*, Vitembergæ 1729. Inter plures quaestiones controversas vero, de eo quod justum est quoad reservatum rusticorum, hic speciatim tractandum de jure singulari rusticorum quoad eorum reservatum, si rusticus alimentarius uxorem dicit, seu, ut ajunt: *Ob der Auszug verfreielt werde?* Quia de re non solum KRAUSIUS I. c. Cap. ult. §. 5. disputat, sed et hoc pertinet HOMMELIANA Obf. 2. in *Rapsodia quaestionum* Vol. II. obveniens: *Vetula alimentaria si nubat, debetur alimentatio et novo ejus marito.* Cum me judice, nihil intersit, an vetula alimentaria nubat, an vero, ut loquar cum HOMMELIO, vetulus alimentarius nubat; nec non an nuptiae sint secundae nuptiae, vel non, generaliter hic agendum de nuptiarum rusticorum alimentarii utriusque sexus effectu quoad

ejus reservatum. Singularis opinio HOMMELII l. c. est, in casu, quo filius patri viduo, vel extraneus praedii emtor venditori viduo, habitationem cum alimentis promisit et viduus uxorem ducit, non cessare reservatum ex hac addita ratione: *quia uxor est persona accessoria, et quasi appendicula viri:* difficultorem vero paululum esse quaestione addit, si non viduo, sed viduae, habitatione promissa, atque illa nubat: *tum enim duriorum evadere conditionem promissoris, dum non solum virum in dominum ducat, verum etiam genitis liberis eam impletat.* Fateor me vim hujus argumenti non perspicere, indeque defendo, si quaestio est de reservato rusticorum, perinde esse, sive nubat alimentarius, sive nubat alimentaria; ut et, sive nuptiae sint secundae nuptiae, sive non. Si nunc, quod suppono, hac de re per pactum nihil definitum existet: ex mea sententia quoad rusticum, fundi cui inhaeret reservatum possessorem, omnia manere debent in statu quo. Non cessat ideo et extinguitur reservatum, nec habitatione extendenda, nec alimenta augenda sunt; et si alimentarius vel non potest, vel non vult contentus esse habitatione et alimentis ab initio determinatis: aut in coelibatu manere debet, aut ipse aliunde supplere, quod deficit. Quod rusticus alimentarius utriusque sexus dum nubit, augeat indigentiam suam, praeditio dicare nequit ei, qui determinatum reservatum promisit. Generatim enim si sive per legem, sive per pactum determinatum est, quid alter alteri debeat:

ultra determinatum nihil peti potest, ita ut, quod speciatim hue facit, nec status rustici, nec favor alimentorum, nec favor matrimonii efficere possint, ut plus, quam promissum est, praestari debeat; praeferunt si, prout hic, is cuius indigentia per nuptias quas contrahit augetur, sponte efficit indigentiam suam augeri, sive hoc tertio eo minus praejudicare potest. Quodsi vero jus tale est, cuius limites secundum indigentiam jus habentis determinari debent, omnino sola indigentia auget jus. Quae cum ita sint, per nuptias rustici alimentarii augeri ejus reservatum, tum demum defendi posset, si aut adessent speciales leges, per quas hoc constitutum, aut jus rustici alimentarii tale esset, quod per indigentiam alimentarii augeretur. Prius autem defendi nequit, cum defint leges quae sint communes; particulares vero hic in censum non veniant. Sed et nec posterius admitti potest, cum jus rustici alimentarii tale esse, cuius limites determinet indigentia, defendi nequeat, quoniam lex vel pactum determinat quantitatem reservati rusticaria alimentarii. Quae cum ita se habeant, *suspicatum, immo falso;* *jus singulare rusticorum est:* reservatum eorum per nuptias extingui, seu, ut ajunt, dass der Auszug verfreiet werde. Nec minus per dicta patet, *spurium jus singulare rusticorum esse,* augeri reservatum rusticorum si nubit, quoniam et quatenus crescit ejus indigentia. Manent potius omnia in statu quo, nec potest rusticus alimentarius habitationis extensionem, vel alimentorum augmentum

jure exigere a praedii possidente reservato onerato; licet, ob individuam vitae consuetudinem mariti et uxoris, non vero, ut putat HOMMELIUS l. c. ideo, quoniam vir et uxor unum corpus, una persona existimantur, possessor praedii impedit nequeat, quominus alimentarium novum thori solum in domum recipiat, cum ipsum matrimonium impedire non possit. Ceterum, qui contrarium defendant, dum aucta indigentia rustici in coelibatu viventis per nuptias contractas, augendum etiam esse reservatum putant, male provocant ad l. 4. §. 1. *D. de usu et habit.* quae hujus tenoris est: *Mulieri si usus relietus sit, posse eam et cum marito habitare* *Quintus Mucius primus admisit, ne ei matrimonio carendum foret, cum vii vult* *domo. Quid ergo, si viduae legatus sit? an nuptiis contractis post constitutum* *usum mulier habitare cum marito posset? Et est verum, posse eam et possea nuben-* *tem cum viro habitare.* Loquitur enim haec lex de servitute usus, eius juris limites determinantur secundum indigentiam usuarii; quod per dicta non valet de reservato rusticorum. Vnde et HOMMELIUS, qui l. c. cum aliis ad hanc legem provocat, fatetur, eam quidem hue trahi non posse; sed tamen eam hue trahit, quoniam, ut ait, *forensis turba non omnia ad vivum resecare solet.* Ego vero cum hujus farinae hominibus non facio.

## OBSERVATIO VII.

De obligatione prolis rusticæ ad praestationem operarum ex jure  
des Dienftzwanges.

**N**otum est, obvenire in Germania singularem quandam obligationem prolis rusticæ, ad praestationem operarum, quae non contrahitur interveniente locatione conductione operarum, sed ex jure, quod venit sub nomine des Dienftzwanges, estque jus cogendi liberos rusticorum ad operas domino praestandas, cui respondet singularis obligatio liberorum, quibus nascendi fors dedit patrem rusticum, de quo argumento legi meretur CHRISTIAN. HENR. BREUNING in diss. de *gesin-  
dis hodiernis necessariis ex jure des Dienftzwanges*. *Lipſ. 1757.* Est hoc jus species juris bannarii; et quoad rusticum, cujus liberi servire debent, distinguendum est inter rusticum liberum et qui talis non est, siveque, vel homo proprius, vel imperfectæ libertatis rusticus est. Haec sunt, quae generatim de operis prolis rusticæ bannariis domino praestandis, praemittenda erant. Quoad specia- liora certissimum est, liberos rusticorum, qui sunt rusticī liberi, esse ab his operis

immunes: unde hic tantum agendum de liberis eorum rusticorum, qui sunt vel homines proprii, vel rusticci imperfectae libertatis. Liberos rusticorum, qui sunt *homines proprii*, cogi posse ad operarum praestationem a domino haereditario seu praediali, ex servitutis natura, per nativitatem in eos propagata, fluit: unde quoad hos juris Germanici communis est obligatio eorum ad dicta servitia et jus domini rusticci praedialis ei respondens. Contra vero quoad *liberos rusticorum imperfectae libertatis* idem non valet, sed non nisi juris germanici particularis est, dum ex natura rusticci, qui non est homo proprius, servitus prolis non fluit. A regia via itaque non aberrat BREUNINGIUS qui l. c. Cap. III. p. 11. ait: *hominum itaque proprietorum liberos ad servitia domestica teneri, nulla dubitandi ratio superest; sed quid dicamus de rusticis, quibus imperfecta libertas competit?* Legat responsonem BREUNINGII, cui volupe est scire, quid is hac de resentiat. Me quod attinet, ejus sententiae subscribo. Defendo nimurum cum eo, *in dubio liberos rusticorum imperfectae libertatis immunes esse a jure des Dienstzwanges, si que adest lex scripta, pacatum vel observantia probans existentiam hujus juris, in dubio illud non domino jurisdictionis, sed potius domino praediali seu hereditario competere.* Praeterea non subscribo solum sententiae BREUNINGII: sed et ex iisdem fere, quibus is utitur, rationibus idem defendo, addito hoc unico argumento, fluere etiam hoc ex supra (Obs. IV.) dictis de

praesumtione pro rustico contra dominum quoad operas, dum obligationis liberorum rusticorum imperfectae libertatis praestandi operas domino, sequela quasi et fundamentum sit obligationis patris praestandi operas. Quae cum ita sint, si dominus probare nequit, sibi competere jus, quod dicitur der Dienstzwang, ei hoc jus non competit, indeque secundum jus Germanicum commune *suspetta immo falsa est haec obligatio singularis liberorum rusticorum imperfectae libertatis.* Cum vero saepius contingat, constare quidem de eo, quod liberi rusticorum imperfectae libertatis obligati sint ad praestationem operarum quoad quaestio-  
 nem: An? at non quoad quaestio-  
 nem: Quomodo? hic non subsistendum est in theoria juris Germanici communis, quod fieri solet, sive tantum defini-  
 niri, quid justum in hoc vel illo loco, secundum leges particulares; sed potius secundum principia generalia definiatur, quid justum sit, sive desint sive non leges Germanicae particulares, ut et sive convenienter sive non cum jure Germanico communi. Dolendum itaque in cultura juris Germanici privati com-  
 munis, prout in aliis doctrinis plerisque, ita et praesertim in doctrina de rusti-  
 cis, negligi quod est juris Germanici communis, et loco ejus, vanae plerumque ostentationis causa, non nisi jus particolare doceri, dum docendum esset, quod est juris Germanici communis. Vnde hic non subsisto in doctrina, de qua in hac obseruatione actum est, sed progredior ad praecipuas dubias quaestiones, quae jus

cogendi liberos rusticorum ad operas domino praestandas concernunt, ad quas, non secundum jus Germanicum particulare, sed commune respondentum est.

I. Sit itaque prima quaestio haec: *An in dubio presumendum sit, rusticorum imperfectae libertatis liberos ad servitia bannaria praestanda esse obligatos?* quod nego per dicta in antecedentibus.

II. Si porro quaeritur: *An jus bannarium, quod est in quaestione, tum demum locum habeat, si liberi rusticorum aliis operas suas locare volunt, sive illud non nisi jus quoddam protimere sit?* ex mea sententia respondentum: neutiquam hoc jus ita restringendum esse. In dubio enim, prout nunquam, ita nec hujus juris bannarii limitatio praesumi potest. Vnde quae haec de re hinc inde obveniunt apud HOMMELIUM in ejus *Rapsodia*, Vol. II. Observ. CCCLVI. cave existimes, juris Germanici communis esse. Hinc vero porro per se patet, liberos rusticorum juri bannario quoad operarum praestationem subjectos, vi juris des Dienstzwanges, licet aliis jam locaverint operas suas, aut in domo parentum manere et nendo, vel mercando, vel opificium tractando, vitam sustinere malint, a domino cogi posse, ut praesentem operas bannarias. In his enim cefat eorum liberum arbitrium et vi ejus tollere nequeunt obligationem per

talem nativitatem contractam, quod sint liberi rusticorum, qui juri bannario subjecti sunt.

III. Quaestione: *An liberi rusticorum gratis praeflare debeant operas vi juris des Dienstzwanges praefandas?* tractant quidem POTTGIESERUS de statu hominum proprietorum L. II. Cap. 7. §. 28. et BREUNINGIUS loco citato pag. 12. at nihil certi definit secundum jus Germanicum commune, de quo hic quaestio est. Gratuita servitia praefanda esse, quod id ipsum exceptio a regula sit, nemo negabit. Licet vero hic exceptionem a regula locum habere videatur ideo, quoniam liberi rusticorum, operas quas praefant, non sponte locant, sed eas praefastare debent ex juris necessitate: inde tamen, me judice, non fluit obligatio ad operas plane gratuitas. Sed nec ab altera parte dici potest, unum idemque esse quoad mercedem, an opera, quae praefstantur, sint bannariae; an vero tales, ad quas praefandas per intervenientem contractum locationis conductionis operarum, locator se sponte obligavit. Quae cum ita sint, media sententia eligenda dicendumque est: *liberis rusticorum pro operis bannariis non quidem deberi mercedem veri nominis; at tamen necessaria alimenta iis praefanda esse a domino, cui servunt.*

IV. Sequitur quaestio: *per quod tempus servire debeat rusticus proles ex jure des Dienstzwanges?* Respondeo nullum certum tempus determinari posse, sed durare hoc tempus tam diu, quam diu operas praeflare possunt, sive demum aut per mortem, aut corporis imbecillitatem, aut per dicenda ad quaestionem V. aut per parentum indigentiam, finiri hanc obligationem. Biennium aut triennium itaque non est juris Germanici communis, sed particularis, licet plerumque finiat hanc obligationem.

V. Movere etiam solent DD. hanc quaestionem: *an studia, militaria et opicia, liberent ab onere praeflandi servitia?* de qua sic sentio. Si, quod fieri debet, liberi rusticorum consentiente domino studia, militiam aut opicia eligunt, ut hoc modo, tanquam magis utilia reipublicae membra, ei aliquando inferire possint; si eventus fini respondet, merito dominus, vi consensu taciti, invitus cogi potest ad dimittendum et liberandum ab onere servitorum liberos rusticorum.

VI. Est porro non plane inutilis quaestio: *An jus cogendi rusticorum liberos ad operas non usu amittatur?* ad quam facilis est responsio: *nullo modo hoc defendi posse*, per fatis notum principium: quod operis non iudicis nun-

quam praescribatur. Arg. *I. 2. D. de usu et usus. leg.* Idem sentit WERNHERUS  
*Obs. For. P. 3. Obs. 175.*

VII. Sequitur quaesito: *An inde, quod ipsi parentes indigeant liberorum operis, dum si iis carere debent, eorum oeconomia inde sentiat damnum, oriatur iusta causa denegandi operas liberorum domino praefandas?* quae ex mea sententia sic decidenda est: *Si vera est allegata causa, ex qua denegantur liberorum servitia, denegatio pro iusta habenda est.* Etenim parentum et liberorum obligatio ad operas bannarias, horum nimur ut praestent eas, illorum vero ut iis careant, sua natura tacitam hanc continet conditionem: parentes praedicti possefiores carere posse operis liberorum salva sua oeconomia.

VIII. Quod tandem attinet quaestionem: *An matrimonium liberet a nexu des Dienstzwanges?* distinguendum esse censeo, an domino consentiente matrimonio jungantur tales, qui vel ab una, vel ab utraque parte ad operas praefandas obligati sunt, an non. Si *prius*, concedo tum cessare jus domini deinceps exigendi operas bannarias, quoniam consensum expressum in nuptias, tacitam juris domini quoad operas bannarias renunciationem involvere, defendi potest. At enim vero si *posteriorius*: manent operis bannariis obnoxii rusticorum li-

beri, nunc in matrimonio viventes, cum et a conjugatis praestari possint, et domino nocere non debeat, servitiis bannariis obnoxios, absque ejus consensu matrimonium contraxisse. Accedit, si contrarium ponis, eum, qui domino obligatus erat ad servitia, posse ad matrimonium confugere, ut se liberet ab hac obligatione, ut recte judicat BREUNINGIUS l. c. pag. 14. Dicitis ceterum non obstat paroemia: *Freien geht vor Miethe*, dum ei opponi potest contraria paroemia: *wer freien will, muss ausdienen*. Accedit, has paroemias hue plane non pertinere, sed potius concernere locationem operarum, quae fit ex libera voluntate locatoris per intervenientem contractum locationis conductionis, indeque, cum secundum jus Germanicum particulare alibi locator per nuptias liberetur ab obligatione continuandi contractum locationis conductionis operarum, ibi locum habet paroemia: *Freien geht vor Miethe*; alibi vero contrarium obtinet: inde ibi dicitur: *Wer freien will, muss ausdienen*. Conf. GEORG. TOS. PISTORII *Thesaurus paroemiarum germanico-juridicarum, Paroem. XXV.* JOH. FRID. EISENHARD *Grundsätze der teutschen Rechte in Sprichwörtern Abth. 2. num. X.*

T a n t u m.

## GENEROSISSIMO ORNATISSIMOQUE

SPECIMINIS HUJUS AUCTORI

S. P. D.

## P R A E S E S.

**M**usis nostris, GENEROSISSIME LIBER BARO, valedicturus, TE non sine publico eruditionis specimine discedere voluisse, est maxime laudandum propositum. Sic adsumt rerum testimonia, ideoque verbis non est opus, TE in nostra Musarum fede, studiorum TUORUM matre, ita vixisse, vt decet dignum Musarum filium. Sic laetari possunt ii, in quorum subfelliis collegisti eruditionis TUAE thesaurum, de Themidis filio, qui spem de eo conceptam implerit, et in quo vident laetam fegetem efflorescere. Sic, me quod attinet, ego fruor honore TE in cathedram ducendi, ad defendendum, me praefide, hoc TUAE eruditionis specimen. Recordor hac occasione, ante plura lustra, meque adhuc in viridi aetate constituto, nostram Musarum sedem ornasse, VIRUM PERILLUSTREM, nunc meritis gravem, quem patrem venerabilem TIBI natura dedit, cuiusque dexteritatem, soleritiam, prudentiam et ardorem, in tractandis negotiis publicis varii generis et gravissimis, omnes admirantur. Eo magis itaque, nunc senex, gaudeo, TE, tanti patris filium itidem in nostra Frideriana studiis operam dedisse nuncque specimen eruditionis edere. Et quidni gauderem, cum praeterea et hoc mihi valde gratum sit TE, elegisse the-

ma juris germanici privati et communis, cuius culturam negligi dolendum est. Non est  
 hujus loci hac de re disputare, interim tamen vel binis verbis monendum est, multum in-  
 teresse, culturam juris germanici privati communis magis promoveri ac sit. Quae enim  
 quaeque animae dotes requiruntur ad compilandum, quae leges germanicae provinciales et  
 statuta disponunt de hoc vel illo themate juris privati, et quem praestat usum talia doceri  
 in scholis; praesertim cum nec concentus plurium harum legum particularium, efficere pos-  
 sit, id in quo convenient, esse juris germanici communis? Laudo itaque, TE in hoc TUO  
 specimen plane neglexisse, quae hic inde in legibus provincialibus de iis juribus vel  
 etiam obligationibus singularibus rusticorum obveniunt, de quibus disputas, dum ob  
 temporis angustiam et brevitatis studium, non nisi quaedam horum jurium et obligationum  
 sub examen vocare potuisti. Sed erunt forsitan, qui TIBI vitio vertant, quod leges provin-  
 ciales neglexeris, dum noluisti laborem corporeum suscipere, qui fere totus oculis et mani-  
 bus absolvii potest, et quo absoluto, id quod productum, est specimen juris germanici,  
 sit venia verbo, quodlibeticum. At confidas velim bonae causae, quae semper triumphat.  
 Ceterum ne diutius TE detineam, fausta quaevis TIBI appreco et ut etiam porro TVA  
 amicitia me dignari velis, oro rogoque. Dabam Halae d. XVII Mart. MDCCCLXXXIX.

ILLVSTRI AC GENEROSO VIRO IVVENI

FRIDERICO GUILIELMO FERDINANDO LIBERO  
BARONI VON DER HAGEN.

S. P. D.

JOANNES REINHOLDUS FORSTER.

**Q**uum jam in procinctu stes, Commentationem TVAM doctissimam publice defendere, nolc  
TE pluribus morari, ideoque paucis tantummodo verbis TE compellare mihi liceat.

Ex quo primum hanc Musarum sacram sedem accessisti, vidimus TE Illustris ac Ge  
neroſe Lib. Baro maxima cum animi intentione ingentique ardore flagrantem, optimarum  
litterarum studiis strenue operam navare: TE praeterea experti sumus moribus placidis, ur  
banis, concinnis imo et elegantibus, nequaquam quidquam tetrici induisse, quod illis ac  
cidere solet, qui totos sese severioribus addicunt studiis; porro observavimus TE in omnibus  
et virorum doctorum et aequalium juvenum coetibus facile TIBI amicos parasse; nee  
quod, in tanto hominum in Academiis e variis gentibus confluxu, in tantoque juvenilium  
ingeniorum discriminis et mobilitate, denique in tanta bonorum malorumque miscela vix  
evitari potest, cum quoquam inimicitiam exercuisse; sed in omnium opinione TE dignum  
illustris et Generosissimi Parentis optimi filium praefitisti, dignamque sobolem  
splendidae gentis, quae belli pacisque virtutibus, multis abhinc seculis inclaruit, patriaeque et  
Potentissimis ac serenissimis principibus utilem et strenuam navarunt operam.

F

Hanc egregiam indolem, ingenii praestantiam, litterarum studium indefessum, morum elegantiam, conspicuamque virtutem TUAM et mihi id persuasissime, ut TUAM amicitiam ultro exoptarem, nemini id mirum videbitur e Iuventute nostrae curae credita, qui mores meos perspectos habebit: quum nempe omnes id probe norint, quam pronus sim ad officia versus quemque, qui diligentem beneque moratum sese praefet. Verum quam primum utriusque sanctis amicitiae igniculis incaluissemus, adeo mihi TUA diligentia, probitas, humanitas, urbanitasque sese probavit, ut nihil prouersus jam detrectarem, quo Tibi amorem et animum ad omne officiorum genus paratissimum publice privatimque testarer. Quum igitur me ad officium opposentis contra Commentationem TUAM deposceres; et si probe scirem, quam iniqua mihi concertatio subeunda esset in studiorum genere, in quo me plane hospitem lubenter profiteor, non enim omnia possumus omnes; imprimis quum tam gravem tamque exercitatum Ictum ad Praefidium delegeris, qui latera TUA tutaretur; nolui tamen TIBI, amore meo deesse. Igitur non ex facili victoria, quam de me obtinebis, TUAM corona Auditorum in Iure peritiam dijudicet velim; sed quam carus mihi sis, cui morem genere malui, cum dispendio famae; ne de plenitudine amoris in TE mei, quisquam dubitare possit.

Quamprimum vero TE, REX CLEMENTISSIMUS, ad munera publica obeunda vocaverit, (quod auguror brevi tempore futurum) provideo Te OPTIMI PRINCIPIS expectationi, spei parentis Optimi, (Viri de nostra patria, reque publica litteraria paeclare meriti) splendori gentis paternae, et famae Academiae nostrae non defuturum; et re et factis id effecturum, ut bene actum de patria nostra quilibet censeat, quae TE talem virtute, Iuris peritia, acumine ingenii, dexterimaque administratione negotiorum publicorum conspicuum praefamtemque Virum habeat, possideatque: neque TIBI deerunt paeclarata, beneque merita praemia. Faxit haec DEUS T. O. M. et annuat votis serventibus meis, ex intimis praecordiis fusi! Vale et me, ut coepisti, amare perge. Dabam in Alma Fridericiana d. XIV. Martii. cccccc lxxxix.

ILLVSTRISSIMO GENEROSISSIMOQVE

L I B E R O B A R O N I D E H A G E N

S. D. P.

JOANNES CASPARVS LVDOVICVS MENKENIVS.

3  
**H**aud exigua sane mereris laudem, quod studiorum academicorum rationes reddere, fortisque nasci fortibus TWO exemplo publice in cathedra comprobare, Tecum confitueris. Meis hucusque privatis et examinatoriis indefesso studio interfuisisti praelectionibus, Tuaque quotidie dignum me judicasti amicitia, ita, ut, si occasione tam sollemni doctrinae, ingenii probitatisque silentio praetermitterem testimoniun, injustus essem. Elegisti Tibi dissertationis argumentum pari profecto utilitate ac gravitate commendabile, et ut dissentientis in me suscipere perem partes, me provocasti. Non defuerunt Tibi in conscribenda dissertatione ICtorum copiosius de hoc arguento exponentium scripta, neque tamen, cum ne quidem in formanda rusticorum notione, multo minus in eorum juribus singularibus generatim determinandis inter se convenient, eorum ubicunque sequi potuisti principia, potius generalia rusticorum quoad personas et prædia jura a specialibus in hac aut illa tantum provincia obvenientibus aderante studuisti distinguere, et si redux in patriam coepit ita opus peculiari, ut spero, absolveris libro, omnium, quibus curae cordique sunt res germanicae ICtorum certissime subiturum Te credas gratiam. Evidem cum iam propediem nostram relicturus sis academiam, nihil magis habeo in votis, quam ut prospere Tibi omnia succedant, reduxque in patriam splendidis conspicuus honoribus, eius quae hucusque inter nos intercessit amicitiae, interdum benignissime recorderis. Dabam Halec Salicae — —

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO  
 VIR O  
 FRIDERICO WILHELMO FERDINANDO  
 L. BARONI AB HAGEN  
 JURIS UTRIUSQUE CANDIDATO DIGNISSIMO  
 S. P. D.  
 ERNESTUS HENRICUS OELRICH'S  
 HANNOVERANUS.

Quae eorum esse solet, qui ceteris mortalibus praestare studuerunt, ut insolito ac inde-  
 sesso labore ad facta, nepotibus referenda, sece accingerent, neglectisque iis, quae aetas,  
 natalium splendor, patrumque merita, offerrent otii deliciis, id potissimum intentis viribus  
 petendum crederent, ut sicut dignitate inter cives, ita quoque sapientia et virtute eminerent;  
 hanc Te legem Tibi proposuisse suspiciens intellexi, ut qua Te avorum clarissimorum, Pa-  
 trisque Excellentissimi et Amplissimi merita anteirent, via sequareis, ne tantum fortunae nu-  
 mine, verum etiam animi praestantia ad summos in republica honores, destinatum Te de-  
 monstres. Quo quidem quaevis optima appetente animo jurisprudentiae studium ita aggref-

fus es, ut non solum vulgarem aliquam legum positarum notitiam acquireres, verum etiam definitionis, quam vir summus Ulpianus jure consulo proponit, memor, longius progredendum esse illumque solum magno ICti nomine dignum existimares; qui justi injustique scientiae, rerum divinarum atque humanarum studium jangeret. Philosophia scilicet duce legum originem, historiam, earumque, pro cuiusque reipublicae forma, diversitatem perlustremus, variasque earum, mutatis moribus, sacris et statu publico formas, perpendamus, ut tam legum latarum rationes, quam ferendarum effectus intelligamus. Jam itaque huic scientiae tali ardore operam dedisti, ut musis nostris valedicturus, certamine litterario instituto, eumque ad finem eleganti opere, quo plura ICtorum figmenta perfirinxisti edito, tum praeceptoribus fructus ex eorum institutione collectos, tum aequilibus, quid de TE sperandum sit, exhiberes. In quo quidem, quum mihi dissentientis provinciam demandares, amicitiae TUAE, qua me huc usque dignum TIBI visum esse laetor, cumulum addidisti; mihi vero, gratulor, illud a TE munus, quod licet sperarem, ambire tamen haud auderem, honorifice in me esse collatum. Maximas ergo TIBI ago gratias, maioresque usque ad vitae finem laetabundus memor servabo, qui me honoris, TECUM contendisse, TIBIQUE viatori palmam protendisse dignum censueris, id tantum a TE etiam atque etiam petens, ut illi, qui, dum spirabit, TUAS virtutes TUAMQUE eruditionem suspiciet, favoris TUI laudem conservare velis. Vale.

Dabam Halae die XVIII. Martii,

Anno MDCCCLXXXIX.

...tum... sup... tunc... quod... et... p... c... t... m... n... s...  
 sup... h... f... t... p... s... c... s... n... d... s... i... s...  
 st... s... r... s... t... t... s... s... s... s... s... s... s... s...  
 A D L I E.

### BARONEM DE HAGEN.

**F**elix, cui licuit prima viridente juventa  
 Laurigeri Phoebi limina adire sacra!  
 Cui contemnenti facilis vestigia vulgi,  
 Musarum ad colles semita cuncta patet!  
 Qui nec stemmata, nec numerans praeclera parentum  
 Facta, sibi meritis nomina certa petit;  
 Dotibus ingenii qui et recto pectore fretus,  
 Non nisi virtutis praemia digna putat.  
 Felix, qui certa navi freta falsa pererrans,  
 Vix juvenis, laudis littora tuta tenet!  
 Et Læertiadi similis, qui pectore firmo  
 Sirenum surda praeterit aure melos,  
 Semper progredivs famae succensus amore,  
 Blanda voluptatis spernere dona potest;  
 Atque, oculos tendens ad magni fidera honoris,  
 Temporis aeterni laurea ferta cupit!  
 Felix terque quaterque igitur, Dignissime Baro!  
 Quem juvenem Themidos splendida vitta tegit;

Gloria quem stirpis, propriis virtutibus aucta,  
 Patria quem laurus, semper ad alta vocat!  
 Macte igitur virtute nova! comitantur honores  
 Quem decorant pietas inclyta et alma fides.  
 Semper eris felix et magno nomine clarus,  
 Candidae amicitiae si pia vota valent.

DE BRINCKMAN.

SUECUS.

GENERALIS PROSAPIA SOLIDAQUE JVRIS SCIENTIA  
PRAECELENTI

D I S S E R T A T I O N I S A V C T O R I,

AMICO SVO HONORATISSIMO,  
GAVDERE DICT ET REM BENE GERERE,  
D. JOANNES GEORGIVS KRVENIZ.

**P**ublicum Tuum, quod hodie, Vir Generosissime, in omnium oculis exponis, industriae specimen, amplissimum mihi exhibet argumentum, meum in Te animum Tibi significandi. Sane iste ingenii foetus, quem emittis, locupletissimus est testis ac interpres Tuae diligentiae, et aperte declarat, sapientem vitae academicae rationem Te iniisse, tempusque Tuum ita collocaſſe, ut nihil in Te desiderari possit, quod ad partes boni civis pertinet. Itaque venerandus Tuus pater jam maximam laetandi materiam prae ſe habet, et patria ſpem, quam de Te, freta Tuō paeclaro ad virtutem impetu, ſibi facit, haud irritam fore, claris signis cognoscit. Augurium ſuum nunc exitu comprobari videt, atque ex commentarye hac ingenii ac litterarum Tuarum ubertatem fentit, ex hac autem in posterum haud exiguum meſſem ſibi promittere potest. I nunc bonis avibus, adſcende cathedram, et impone feliciter laboribus Tuis academicis coronidem, ea quidem dexteritate, qua ſtudia Tua ad omnium admirationem hucusque proſecutus es. Refert Plinius, ſe a majoribus suis accepiffe, quod ne nobilissimis quidem adolescentibus quondam in foro villus fuerit datus locus, niſi ali-

quo consulari producente; id quod praecclare de Te dici potest, qui nunc in forum litterarum hoc publico eruditionis specimine prodis, praeeunte et producente Viro, vere inter eruditos consulari, excellentissimo Domino Praefide. Gratulor Tibi, amicissime DE HAGEN, dona, quae a natura habes, egregia; ingenium excitatum litterisque perpolitum; spem, quam de Te fecisti, amplissimam; bonam prae reliquis mentem adversus Deum optime animatam; felicem studii academici decursum. Fruere his Dei donis e re Tua et publica diu feliciter. Certe non deerunt praemia, quae virtus Tua meretur, in primis cum animi Tui probitas et mores ad modestiam compositi non possint non honorum omnium amorem Tibi conciliare. Voveo porro, ut per integrum vitae Tuae curriculum constanti animi tranquillitate, ac bona nec umquam morbis gravioribus labefactata corporis valetudine gaudeas. Imo, ut multa paucis complectar, opto ut cuncta conamina Tua, quae vera religio, ratio sana et vigilans conscientia probabunt, desideratum fortiantur eventum, ut omnia Tibi ex animi sententia succedant, quo exoptatissimum studiorum portum mox conspicias, et paternam gloriam in Te et posteros Tuos felicissime transplantes. Ita Deus Te sospitet. Optime vale, et amorem Tuum mihi persevera. Dabam Berolini, d. 17. Mart. 1789.

VIRO PERILLVSTRI ATQVE GENEROSISSIMO

L. B AB HAGEN

AMICO DILECTISSIMO

G V S T A V V S T R O S C H E L

BEROLINENSIS,

**N**ihil equidem puto dulcissimus amico, quam gaudere rebus amici prosperis, nihil jucundius, quam animo proferre pio laetitiam de rebus amici secundis sincerrimam et cum eo communicare, quanto per illae sibi sint cordi! ex quo, quanto desiderio quantoque ardore haec Tibi gratissima dies a me expectata sit, nec Te, Carissime ab Hagen, nec alium quemquam fugere potest, qui amicitiam meam satis novit erga Te eximiam, quae a puerili natate originem trahens, hanc usque in diem crevit, quaeque, quod ad me pertinet, usque ad funus salva manebit. Quid igitur mirum, si huic non defum, quae hodie mihi offertur, occasione, animum meum Tibi deditissimum publice declarandi et Tibi gratulandi actum hujus diei solemnum; quam si omissem occasionem, merito amicitia Tua indignus viderer.

Eluxit dies Tibi aequa ac mihi jucundissima, quae te juridicis versatissimum disciplinis, speciminis auctorem praestantissimi, optima indole ac egregiis animi dotibus praeditum praefat. Ascendiisti hodie, cunctis applaudentibus, locum sanctum atque venerandum; quod si facturus fuisses, vel ut honores academicos solenniter capesseres, vel ulla alia necessitate coactus, vereor, ne his ipsis quid de laude tua minueretur, cum minus ultra factum videri posset. Verum laudabilius quoddam perfecisti; solo enim permotus litterarum amore, commilitonibus

dilectissimis publice declarasti, quam bene a Te peractum sit spatium triennale academicum, ac quales sint prospectus, quos Halae in juridicis feceris doctrinis. O ter quaterque beatum, cui tanta, quanta Tibi, animi tranquillitate ac securitate rationem reddidisse licet studiorum, et cui, absoluto cursu, nihil est, propter quod ipsum poeniteat inutiliter peracti temporis, ac revocet annos praeteritos, sed qui animo hilari atque sereno sibi ipse dicere potest: non perdidi tempus.

Probasti hodie exemplo Tuo sene rarissimo, quid ingenium cum solertia conjunctum valeat; diligentiae enim assidue tuae laudandaeque, quam ad perforandas adhibuisse veritates juridicas, et amori flagranti, quo duce sustulisti velum illud, quod plurimas in jure doctrinas involuit, diligentiae, inquam, debes, non minus ac ingenio Tuo praestanti ad quasvis cognitio-nes sublimiores addiscendas nato, quod celerrimo immo rapidissimo gradu ad adyta hujus artis solidae penetraveris, et jam majoribus iniciatus mysteriis sacrorum exstes Themidis. Quantum sperare jure suo licet patriae de viro, qui summa civium spem, quam de eo adhuc puero ha- buerunt, juvenis superavit!

Redi igitur in patriam, Carissime, favore quovis divino ornatus; Te expectat civitas palmam Tibi praebitura Te dignissimam, Tibique apertura honores summos ex sorte Tua et eruditione atque ex meritis paternis juste a Te petendos. Te expectat pater illufris ac venerandus, ecce, salutare ac amplecti cupiens Te filium dilectissimum sequie dignissimum; expectant amici, jam dudum absentiam tuam moleste ferentes reditumque Tuum ardenter exceptantes. Valeas, Carissime et dilectissime, ac me, ut amasti, amare pergas, oro atque obsecro.

ILLVSTRISSIMO AMICISSIMO

LIBERO BARONI AB HAGEN

S. P. D.

C. L. H. HVVLBECK J. v. C.

**C**um mihi a prima contigerit pubertate, TECUM una in litterarum studiis versari, TUAQUE frui amicitia, ingratii sane mererer notam, nisi de hodierno festo die, quo futurus Themidis facerdos, publica eximiae Tuae diligentiae industriaeque specimina edis, ex animi plenitudine TIBI gratularer. Multa hic de acumine ingenii TUI doctrinaeque proferre possem, sed quid verbis opus est, ubi res ipsa loquitur! Satis in omnium conspectu est, TE non TIBI sed patria vixisse: quare TUAE non indigent me paecone laudes. Innumerat TUA mihi praebevit confuetudo fuavitates, quare justo afficiar moerore, me tali orbari amico; at magnum exinde mihi oritur solatium, quod semestri feliciter elapsio in patriam, ubi omnes boni et aequi TE expectant, redditurus sis. De reliquo etiam atque etiam oro obtestorque, ut qua luc usque usus es, in posterum me prosequaris amicitia et benevolentia. Vale. Dab. Hal.

L. B. AB H A G E N  
FRIDERICUS LUDOVICUS A TSCHIRSCHKY

S. P. D.

Quum TIBI in amplificandum hujus glorioſi diei honorem, quo tam eximium diligētiae laborumque TUORUM ſpecimen tradis, ſplendidiflora Muſarum munera ab amicis co-millitionibusque undique parari video, hercule indignum quam maxime fore putarem, niſi et ego, dulcissimo amicitiae vinculo TECUM jam dudum coniunctus, magnificeae laudum TUARUM coronae, gratulandi gratique erga TE animi teſtificandi cauſia, aliquot anne-eterem flores. Nam permultum mea intereffe facile credes, quod tot tantique clarissimi viri, in omni genere ſcientiarum artiumque optimi, ſimul cum tot florentissimis, quos Academia noſtra fovet, commilitonibus, probe cognoscant, TE et me ſuaviflora amici-tia exceperit, et inter TUOS habuiſſe. E nobiliffimo fonte hujus gloriae fluit cupidio; in-ſtitum enim naturae humanae videtur, quod omnes, qui egregio virtutis amore ducti, fin-gulari litterarum ſtudio eminent, praecipua quadam admiratione profequamur, eosque quantum pro cuiusque fieri potest facultate, quam proxime attingere ſtudeamus. TE hodie illuſtre singularis talis literarym ſtudii dare exemplum, quis eſt, qui ignoret? Nonne exi-mium quid, et cumulatiffimum, noſtris praefertim temporibus, laudibus dignum, juve-nem generoflimum, clarissimis majoribus ortum, et in affluent fortuna natum, a pri-ma inde juventa litteris maxima cum diligentia incubuiſſe; omnia vana et inania, quibus

H

nimis plerumque indulgent adolescentes, oblectamenta contempnisse; et sacro quodam Themidis amore ita flagrante, ut dignus esset, qui nunc prodiret, et adolescentiae inter augustos Musarum secessus egregie peractae, publice rationem redderet? Patrem, qui juvenis sacros Themidis latices eadem siti haustus, et nunc jam dudum primis in patria honoribus conspicuus, Regi optimo operas dicat, nobilissimum summissi exemplar; paternae gloriae invidus, paterna diligentia viribusque litteras coluisti; dignus, qui et aliquando iisdem praemiis exorneris. O quot quantaque commoda, ex TUA sapientia ingenioque percipienda, patriae jam nunc praefagi're licet! Reipublicam ifrenue administrantem, iusta immortalis nostri Regis alaci ingenio persequentem, juraque ejus virili eloquentia ubique propugnantem, jam nunc TE cerno! Nobile insuper generosae nostrae reipublicae iuventuti proponis exemplum, dignum, quod omnes imitentur, quodque cunctos doceat, lauream immortalem, quae frontem aliquando cingat, jam in adolescentia quaerendam esse. O me felicem, quem Deorum benignitas per totum fere tempus, quo in Fridericiana vixisti, virtutis diligentiaeque TUAE spectatorem fecit; felicem, quem eodem nobilissimae Jurisprudentiae studio arctissime me TECUM conjunxerunt; felicem denique, cui nunc etiam hunc vere festum diem solenni laetitia rite TECUM concelebrandum permisere! Vale.






Halle, Diss., 1788-91



Sb.





DISSERTATIO  
JVRIS GERMANICI COMMVNIS  
DE 1789 3011  
RVSTICORVM JVRIBVS  
ET  
OBLIGATIONIBVS SINGVILARIBVS  
FALSO VEL MERITO SVSPECTIS  
  
QVAM  
P R A E S I D E  
PERILLVSTRI ATQVE CONSULTISSIMO  
V I R O  
D. D A N. N E T T E L B L A D T,  
POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI A CONSILIIS INTIMIS,  
ACADEMIAE FRIDERICIANAE DIRECTORE,  
PROFESSORE IVRIS PRIMARIO ET FACVLTATIS JVRIDICAE ORDINARIO,  
DIE XXI. MART. MDCCCLXXXIX.  
PVBLICE DEFENDET  
AVCTOR  
RIDERICVS GVILIELMVS L. B. DE HAGEN  
EQVES MARCHICVS.

HALAE,  
T Y P I S F R A N C K I A N I S.